

poenarum hominum, et tenebrosissimae contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum, et quare istud? Imperat animus corpori, et paretur statim: imperat animus sibi, et resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, et tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium: et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum, et quare istud? Imperat, inquam, ut velit; qui non imperaret, nisi vellet, et non fit, quod imperat. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: et in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plena imperat: ideo non est, quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret, ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum, partim velle, partim nolle, sed aegritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine praegravatus. Et ideo sunt duae voluntates, quia una earum tota non est; et hoc adest alteri, quod deest alteri.

#### CAP. X. VARIA HOMINIS VOLUNTAS.

Pereant a facie tua, Deus, sicuti pereunt vaniloqui et mentis seductores; qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, duas naturas duarum mentium esse asseverant, unam bonam, alteram malam. Ipsi vere mali sunt, cum ista mala sentiunt, et iidem ipsi boni erunt, si vera senserint, verisque consenserint, ut dicat eis Apostolus tuus: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Isti enim, dum volunt esse lux, non in Domino, sed in seipsis, putando animae naturam hoc esse, quod Deus est: ita facti sunt densiores tenebrae, quoniam longius a te recesserunt horrenda arrogantia, a te, vero lumine, illuminante omnem hominem, venientem in hunc mundum. Attendite, quid dicatis, et erubescite, et accedite ad eum, et illuminamini, et